

Guglielmo Ruffo acquista uno schiavo

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Guglielmo Ruffo acquista uno schiavo

1337-08-25

In nomine Domini, amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo septimo, die vigesimo quinto mensis augusti, quintae indictionis, apud terram Sinopolim. Regnante serenissimo domino nostro rege Roberto, Dei gratia inclito Ierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie Folcaquerii ac Pedemontis comite, regnorum suorum anno vigesimo nono, feliciter, amen.

Nos Nicolaus Zarbus, iudex terre Sinopolis, Petrus de Guizzaramo, regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per regiam curiam creatus, et testes subscripti ad hoc vocati, specialiter et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur quod discreti viri Ioannes de Alibrando et Donatus Surrentinus de Nicotera, non vi, non dolo, nec metu, nec aliquo errore inducti, sed eorum propria et spontanea voluntate, sponte vendiderunt, tradiderunt et assignaverunt, et ex causa venditionis habere concesserunt viro magnifico et egregio domino Guglielmo Ruffo de Calabria, comiti Sinopolis ac Veteris Brutiani domino, ementi et recipienti pro se suisque heredibus in perpetuum, mancipium unum eorum, quod nominatur et vocatur Guglielmus, pro unciis auri quattuor in carolensibus liliatis, ad rationem de liliatis, quas uncias auri quattuor in predicta pecunia liliatorum dicti venditores receperunt et manualiter habuerunt coram nobis a praefato domino comite emptore in carolensibus liliatis. Renuntiando exceptioni non numerate pecunie nec habite aut ponderate, et propterea omne ius, dominium, proprietatem et possessionem dicti Guglielmi mancipii predicti venditores a se suisque heredibus penitus alienarunt ad ipsum comitem suosque heredes

transtulerunt; ipsumque emptorem exinde in corporalem possessionem ipsius Mancipii, tamquam de re propria, induxerunt et investierunt per fustem, dantes et concedentes predicti venditores dictis emptori eiusque heredibus et successoribus omnimodam et liberam potestatem a modo praedictum Guglielmum Mancipium habendi, tenendi, possidendi, uti, fruendi et gaudendi, nec non donandi, alienandi, vendendi et de eo et in eo faciendi quicquid sibi suisque heredibus placuerit facturum. Quam venditionem et omnia et singula supradicta semper firma et rata eidem emptori et suis heredibus per stipulationem solemnem habere, nec in nullo modo contrafacere vel venire; ipsumque Guglielmum Mancipium dicto emptori et suis heredibus defendere, guarantire, disbrigare et disalumniare ab omnibus et singulis personis, in curia et extra curiam. Et expresse obligantes se et suos heredes ad poenam unciarum auri octo, regie curie et ipsi emptori pro medietate solvendarum, si contrafecerint in premissis vel aliquo premissorum, me predicto notario publico poenam ipsam pro parte regie curie et predicti emptoris legitime stipulanti. Qua poena soluta vel non, predicta omnia et singula in suo robore perseverent. Renuntiantes in his omnibus exceptioni doli, vis, metus, mali, fraudi, ne iuri vel facto, privilegio fori, beneficio restitutionis in integrum principaliter vel incidenter petendi, actioni, legi, constitutionibus, consuetudinibus scriptis et non scriptis, lesioni ultra dimidium, et specialiter renuntiaverunt auxilio senatus consultum velleianum; et generaliter omnibus aliis iuribus tam canonicis quam civilibus, scriptis et non scriptis, et omnibus actionibus et exceptionibus quibus contra premissa venire possent, seu aliquid premissorum.

Et ad maiorem cautelam dicti venditores iuraverunt ad sancta Dei Evangelia, tacto libro, presentem venditionem et omnia et singula supradicta semper et omni tempore rata et firma habere, tenere et inviolabiliter observare. Unde, ad futuram memoriam et ad cautelam dicti emptoris suorumque heredum, presens scriptum publicum eis fieri fecimus, rogatu dictorum venditorum, per manus mei notarii publici, nostrumque supra iudicis, notarii et testium subscriptorum subscriptionibus roboratum. † Ego Nicolaus Zarbus, iudex terre Sinopolis, testor. † Ego Petrus Plutinus de Stilo predictis interfui et me subscripsi. † Ego Petrus Flumari testor. † Ego Guglielmus de notario Iacobo testor. † Ego notarius Basilius de Dresne predicta testor. † Ego Petrus de Guizzaramo, qui supra, regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per curiam regiam creatus, predicta scripsi et me subscripsi.